AUGUSTINUS
Admont, 12. Jh. Seite 75r
Quelle: https://manuscripta.at/?ID=25973
Copyright: Admont, Benediktinerstift



sapientia sapiens sit quam genuit & hac uirtute potens quam
genuit. & quia semper potens & sapiens semper genuit uirtutem &
sapientiam. Dixeramus enim si ita est cur non & magnitudinis suae pater
sit quia magnus est & bonitatis quia bonus & iusticiae quia iustus & alia si quae sunt.
aut si hec omnia pluribus uo[illegible]cabulis in eadem sapientia & uirtute
intelleguntur ut ea sit magnitudo quae uirtus & ea bonitas quae sapientia
& ea rursus sapientia quae uirtus sicut iam tractauimus. meminerimus cum aliquid
horum nomino sic accipiendum esse ac si omnia commemorem. Queritur ergo an pater
etiam singulus sit sapiens atque ipsa sibi ipse sapientia. an ita sit sapiens
quomodo dicens. Verbo enim quod genuit dicens est. non uerbo quod profertur & so
nat & transit. sed uerbo quod erat apud deum & deus erat uerbum & omnia
per ipsum facta sunt. verbo aequali sibi quo semper atque incommutabiliter dicit
seipsum. Non est enim ipse uerbum sicut nec filius nec imago. Dicens autem
exceptis illis temporalibus uocibus dei quae in creatura fiunt nam sonant
& transeunt. Dicens ergo illo coaeterno uerbo non singulus intellegitur sed cum
ipso verbo sine quo non est utique dicens. Itane & sapiens sicut dicens.
ut ita sit sapientia sicut uerbum & hoc sit uerbum esse quod est esse sapi
entiam. hoc etiam esse uirtutem. ut uirtus & sapientia & uerbum idem
sit & relative dicatur sicut filius & imago. atque ille non singulus
potens uel sapiens sed cum ipsa uirtute atque sapientia quam genuit. sicut non
singulus dicens sed eo uerbo & cum eo verbo quod genuit. atque ita
magnus ea & cum ea magnitudine quam genuit. Et si non alio
magnus. alio deus sed eo magnus quo deus quia non aliud illi est magnum esse
aliud deum esse consequens est ut nec deus singulus sed ea & cum ea deitate
quam genuit. ut sic sit filius deitas patris sicut sapientia & uirtus patris.
& sicuti est uerbum & imago patris. & quia non aliud illi est esse aliud
deum esse. ita sit etiam essentia patris filius sicuti est verbum & imago eius.